



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Commentarius Pavli Bernriedensis, Antiqui Scriptoris, De
Vita Gegorii VII. Pontif. Max.**

Paulus <Bernriedensis>

Ingolstadii, 1610

V. De Epistola Caroli Magni ad Pipinum filium Regem Italiæ; De
Ecclesiastica immunitate.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65381](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65381)

CAPVT V.

De Epistola Caroli Magni ad Pipinum filium, Regem Italiae. De Ecclesiastica immunitate.

HANC Epistolam nimis admodum oculis in-
tuetur Calvinista: Et parum abest, quin eam
reiiciat. Mouetur tamen non nihil auctori-
tate Sigonij, qui eam ex antiquis monumentis
in librum quartum de Regno Italiae transcripsit. Et ex
Sigonio Baronius Tom. 9. Anno DCCC. 1. Neq; alia
repudiandi causa suppetit Calvinistae, nisi quia Eccle-
siasticam libertatem, & ab exactiōibus immunitatem
nimis aperte confirmat; & tricatur nescio quid *de styli*
inelegantia; quasi Carolus Magnus suis in scriptis Cice-
ronis, aut alterius de meliore suo flosculos consueue-
rit sectari. Mox omnem inelegantiā hae Epistola exuis-
set, si Ecclesiis & Monasteriis tantum ademisset, quan-
tum concessit. Nimirum in schola Calvinistarum sty-
lus impositus est, quicunque Episcopis, Clericis & Mo-
nachis aliquid priuilegij concedit. Eam ob causam nil
dubito, repudiat quoque Calvinianus Capitulum illud
Caroli Magni, cuius initium; *In memoriam beati Petri*
Apostoli, & c. apud Gratianum d. 19. Et in Concilio Tri-
burienti cap. 30. Et illud; quod est apud eundem Gra-
tianum 11. q. 1. c. 37. *Volumus*, & lib. 6 leg. Francic. cap. 281.
quia nimis sunt illatina & inuenusta, utpote nimis ma-
gnas prerogatiuas Romano Pontifici & Episcopis lar-
gientia. Exstat autem hae Epistola Caroli ad Pipinum
etiam inter Capitularia Caroli publicata à Vito Amer-
bachio: ut proinde eam Sigonius primus non ediderit,

g

omnis-

omnisque suspicio de impostura, quam Calvinista finxit, in auras evanescat.

CAPVT VI.

De Testamento Caroli Magni.

VVLGAVIT illud Pithœus. Transtulit in Tomum Nonum Annalium Illustrissimus Baronius: In quo ingenuè fatetur, sibi incompertum esse quodnam fuerit Examen vel iudicium Crucis, cuius in Testamento fit mentio: Et cum in Testamento Iudicium Crucis permittatur, lib. I. autem Capitularium cap. 108. qualibet *examinatio Crucis* prohibeatur; visum est Baronio illud ab hac distingui; & illud, licitum; hanc illicitam esse.

Ad quæ Calvinianus post prodigiosa conuicia: *Synonyma hac sunt, Baroni, & in hoc vsuali sermone æquivalent, sicut purgatio & probatio.* Ita quidem & ego sentio; sed num idcirco tantus vir tantis conuiciis insectandus & proscindendus erat, præsertim cum, quod dicit, non careat omni verisimilitudine? Nam quid tu contra hifces, si Baronius legem illam vetantem solum referat ad probationem & examinationem Crucis seu ligni de Cruce Dominica, de qua dictum à nobis est Tom. 1. de S. Crucel. 2. cap. 21. Et quam Mallonius in explicatione Sindonis cap. 4. ita describit. *Ferunt verū Christi Crucis lignum, sic cognosci, & probari, quòd & aqua iniectum non supernatet, sed statim submergatur; in ignem verò coniectum prunis ipsis quasi ignitum, candeat magis, nec absumatur.*

Clamas; *Sexcentis exemplis te Baronium docere possem, quid sit examinatio seu iudicium Crucis.* Cum ad rem ventum

tum